



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Annalivm Trevirensium

Masen, Jacob

Augustae Trevirorum, 1676

Liber XVI. Sedes vacat. Fridericus II. Imp.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12542

LIBER XVI.

Sedes vacat. Fridericus II. Imp.

Importuno Ecclesiæ Theodoricus tempore subtrahendus erat, quando Romana sedes, Gregorio, ac mox Cælestino Pontificibus, anno hujus seculi primo & quadragesimo, sublatis, duorum principum furori Friderici patris, & Conradi filii exposita, malè jactabatur. Romani Episcopi partim vinculis, partim viis intercepti ad electionem coire, nisi ex Friderici voluntate, non poterant, Trevericus verò Clerus dissentientis nobilitatis, quam populus sequebatur, studia veritus, suo usus jure, Arnoldum summæ ædis Præpositum, Theodorici, ex sorore & Isenburgico nepotem, ut hac dignissimum infulâ, cooptavit. Quod cum Nobilitas non probaret, Rudolphum à Ponte nobilem Treveris incolam S. Paulini Præpositum, Seynæ & Lutzelburgorum Comitum, tum etiam Lotharingiæ Ducum patrocinio freti, eligunt, atque à Conrado Rege, qui Confluentiæ, relictas Theodorici opes, tanquam fisco imperiali debitas, colligebat, facile regaliâ præoccupant. Tum verò, ex summa basilica, in munimenti speciem aptata, & turre Minorum de Ponte, Clero magna parte in captivitatem abstracto, palatium, quod Arnoldus occupârat, cum aliis fautorum ejus domibus oppugnant. Ut desperatæ hujus videri res possent: nisi fide constanti, qui per diœcesin arces obtinebant munitionesque (præter Sarburgense castrum, à Rudolpho iavasum) Clero Ecclesiæque adhæsisent. Palatium quoque Arnoldus invicta defensorum manu, & submissis per vicinam portam subsidiis, non solum tuebatur, sed & effecerat metuendum: ut, post datas acceptasque clades invicem, denique agitatum de concordia sit, Rodolphusque, præter omnium expectationem, Saræburgi castro sibi relicto, Arnoldo Episcopatum

An. Ch. 1242.

Romæ per Fridericum Imp. impeditâ Pontificis electione sedes vacat.

Treveris Arnoldus à Clericis Rudolphus à Laicis electus.

Bellum civile.

Rudolphus ultro cedit, ac moritur.

Cives à Conrado Rege ab Archiepiscopi jurisdictione exempti.

Rex quoque Abbatem Epternaci statuit.

An. Ch. 1243.

Nobilissima D. Virginis juxta summam ædem basilica.

Altitudo eximia.

patum detulerit, ac velut mortis, paucis diebus post obitæ, præfagus, schismate prius, quam vitâ abscesserit: Urbs verò hoc civilis belli intervallo ad rem suam usâ, à Conrado Rege, præstitæ fidei commemoratione, obtentæ nuper ab Ottone immunitatis confirmationem obtinuit: *Cives, inquit, cum personis, & omnibus bonis suis, sub imperii, & nostram protectionem recipimus specialem; per obtentum gratia Domini & genitoris nostri, & nostra; firmiter precipientes, ne quis eos contra præsentis protectionis nostræ tenorem ausu temerario molestare præsumat. Datum Hagenuu XIII. Julii.* Quibus, licet, à proscripito damnatoque ab Ecclesia Principe datis, innixi deinde cives literis, immunitatis concessæ libertate frui pro viribus cœpère, rati politicam Cæsaris potestatem, quamvis execrati, constituisse.

Sed & Conradus præcâ libertate magis, quam potestate Arnoldum Epternacensibus Abbatem dedit, sacerorum munerum profanus arbiter. Quando apud Treviros suâ jam perfectione, & structurâ, tum nobilitate, tum sublimitate, juxta ædem Metropolitanam sese extulerat basilica Deiparæ, majori quadratoorum lapidum forma ab imis fundamentis ad rectum usque emergens, opere profus spectabili, & quod mireris unus Sacellani corrogato latè, etiam per diœcesin Coloniensem ære ut literæ à Conrado illius Archiepiscopo testantur. Tectum excelso fastigio in altum assurgentibus, quod à me adhuc spectatum, tempestate hujus ævi, formidabili magis vicinis quam noxio casu, detestatum est. Molem totam à plano ad apicem Brownæ rursus sexcentarum nonaginta septem ulnarum fuisse scribit: ego verò mendum hoc loco irrepsisse, ac trecentarum substituendum esse censeo vel certè pedum, non ulnarum, (in usitatam operum mensuram) adhibendam. Interiori facie egregio columnarum plurium, quas uno stans in aditu vestigio intuearis omnes opere ordinæque, crucis figuram exprimit; fornicibus

ex his decorè in altum exurgentibus, ambituraque sub se per totam templi peripheriam colligentibus. Ex hoc in summam ædem ad latus septentrionale, & inde huc transitus, more apud Vbios quoque Moguntiacosque & alios olim recepto, qui Deiparæ summis basilicis ædes associarunt, ut per illam salutem mundo partam, grati mortales hac imagine templorum, recolerent.

Fridericus interea Cardinales adhuc detinebat in carcere, quod cum Gregorio Romanisque conjuratis adversus se, tanquam hostem Christi, assumpsissent Crucem. Unde quos ex armatis ceperat, his caput in formam Crucis truculenter dissecuit, reliquos vinculis manciparat. Balduinus verò Rex Constantinopolis interveniens, oransque subsidium Fridericum movit, ut libertate eligendi facta, Ecclesiæ suum caput indulgeret. Electus igitur ex Friderici intimis Anagninæ VIII. cal. Julii Innocentius IV. Quod nuntium ad Imperatorem delatum est: *amicum, inquit perdidisti, hostem novum acquisisti.* Et verò suâ minimè opinionem falsus est.

Arnoldus Archiepisc. Trev. recognitâ, Henricum S. Maximini Abbatem Romam, pro Pontificis assensu, pallioque destinavit. Et hic quidem benevolentissimè non solum electionem ratam habuit; sed rarò libertatis Romanæ exemplo, pallium gratuitò etiam submisit, indulfitque, ut obtentis antè beneficiis frueretur, ad diocesis suamque necessitatem levandam, rebus per dissidium haud modicè attenuatis. Qua humanitate illius contra Fridericum gratiam aucupabatur; hujus exautorationem jam animo complexus, quam hac via executus est.

Ludovici Galliarum Regis sancti favore opibusque fretus, repentè Genuensium classe delatus in Galliam Lugduni œcumenicum Concilium instituit, ad quod Episcopis totâ Europâ collectis, cum Fridericum ad dicendam causam nequicquam invitasset, ratam Grego-

Electio
Cesar concessa, Innocentius Papa ex amico fit hostis accerrimus.

Pallium Arnoldo gratuito concedit.

1244.

An Chr 1245.
Innocentius ope Galli factus Fridericum execra-

tur, eiq; imperium auferunt.

Henricus Thuringiæ Dux substituitur.

Arnoldus S. Maximini adem consecrat.

Fridericus à Parmæ obsidione, amissa urbe victoria repellitur.

1246.
Conradus ab Henrico quoque profligatur. Sed victor Casar moritur.

rii sententiam habuit, omniq; imperio indignum extumque pronuntiavit, ac fide absolutos subditos, etiam si deinde consilio auxiliòve adhæsissent, anathematis obstrinxit. Illis verò Principibus ad quos spectabat electio, in quibus tres eminebant ad Rhenum Archiepiscopi, alterius eligendi Imperatoris potestatem fecit. Quorum Herbipoli convenientium suffragiis Henricus Thuringiæ Landgravius, Dux strenuus, electus est. Cui, ut adversus Conradum opes non decissent, XXV. marcarum argenti millia Pontifex submitit, rarà in Germanos Romanorum liberalitate.

Arnoldus inter hæc à Sigifrido & Conrado, illo Moguntiaci, hoc Agrippinate Archiepiscopo Rogeroque Tullensi sacris initiatus, erectam recens ab incendio D. Maximini basilicam solenni cæremoniâ consecravit, productis ex abdito S. Agricii Reliquiis, & ad venerationem, non sine indulgentiarum invitatione ac merito, Româ approbante, propositis.

Fridericus porrò irarum plenus, dum pontificias conditiones invadit, ad Parmam egregiè munitam hæreticoactus, aliam in loco castrorum urbem excitat Victoriam nuncupandam, in qua dum lautissimè omnia, ad delicias etiam voluptatemque, cui se se permittebat, Africanorum commercio fretus instrueret, Parmenses securum ex improvise obruunt, Victoriam occupant, exercitum fugant, immensaque prædâ ditantur, non diluenda Friderici ignominia, qui vitam incolumem in munere deputabat. Ita Parmæ palma, cum Victoriam obtigit, quam, ne Friderici dici posset, destruxerunt. Nec felicius res acta à Conrado in Germania, qui postquam ad dissipanda Francofurtensium Comitatus, ubi Arnoldus Archiepiscopus, alique Principum ad res imperii constituendas versabantur, cum exercitu properasset, Henricus contra adfuit, fortissimèque pugnans, Conradum turpiter victum, cladis ignominiaque plenum

in fugam avertit. Sed, quæ fuit Germaniæ infelicitas spes pacatoris imperii in herba succisa est, Henrico ex ventris profluvio Isenaci occidente.

Quo tempore & Henricus Seynæ Comes, prædandi licentiâ, latè cum multorum evagatus injuriâ, morte imminente futurique judicii terrore perstrictus, certa assignavit Mechtildi conjugii prædia, ex quorum proventibus omnibus injuriam passis satisfieri voluit, ac denique prædia ad Teutonicæ, apud Confluentes, domus possessionem transire. Ita mors sæpe bonorum morum justitiæque magistra est, & tum demum rectè vivere incipimus, cum desinendum est.

Jam Germania justo gubernatore destituta rursus fluctuabat, quando Petrus Caputius Cardinalis ab Innocentio legatus novæ electionis stimulator adfuit. Cùmque plerique Procerum hanc tot periculis objectam dignitatem averfarentur, Henricus Brabantiæ Dux Wilhelmum nepotem Hollandiæ Ducem obtulit, qui Arnoldo, Sigefrido, Conradoque Archiepiscopis probantibus electus, & post Aquisgranum semestri obsidione, quod Friderico hæreret, expugnatum, illic à Guilielmo Cardinale S. Sabinæ coronatus est. Quem nunc deinde Arnoldus, ad Trevitorum munimenta receptum, præcipuo studio auxiliisque fovet, haud leve in Palatinis, Conrado faventibus, damnum accepit, præcipuè ab arce Thurorum, quam Henricus Palatinus quondam, pro Ottonis fratris tutela, in Treverico ad Mosellam solo, juxta Alkenam excitârat. Unde Zorno hoc tempore, truculenti hominis ingenii, præfectus arboribus, ingenti sævitiâ in diocesis sese effundebat, captivitate ac ferro, in Clerum etiam prægnantesque seminas, grassatus. Cumque expugnari vi locus non possit, lentâ illum biennii obsidione Arnoldus denique imperii potestatem redegit. Quando Galli sanctioris belli desiderio, cum Ludovico, præstantissimo ejus Gentis Rege, in orientem effusi, Pelusio, seu Damiatâ Ægypti, occupatâ, plerique interiøre, Rex captus ingentique

Seynæ Comes malè parra restituit.

An. Chr. 1247

Wilhelmus Hollandiæ Dux Imperator legitur.

Quem, cum Arnoldus tuetur, à Palatinis, Conrado deditis, patitur.

1248.

Ludovici Regis S. infelix in terram sanctam expeditio.

pecunia, & Pelusio reddito exemptus, sine victoria quidem, at non sine gloria pietatis quâ sacra loca invilit, reversus est.

S. Gertrudis,
Elisabethæ
Hassicæ filia
Aldenber-
genfi Parthe-
noni præfici-
tur magno
ejus bono.

Interea S. Gertrudis B. Elisabethæ, Landgravia Hassiæ ex Ludovico filia (soror Sophiæ Henrico III. Lotharingiæ & Brabantia Ducis nuptæ, ex qua Landgravi Hassiæ originem trahunt) à pia quondam Matre Deo in Aldenbergensi, juxta Hassiam, Parthenone oblata, & à Christina, Magistra loci, ad omnem sanctitatem formata, hujus morte omnium votis, idem munus adierat. Quod tanto, non sacrarum modò rerum, sed & temporalium profectu administravit; ut multorum freta liberalitate, templi cœnobiiq̃ amplificandi & illustrius extruendi curam susceperit, opibusque ac personis auctum ad florentissimum statum, unde quinquaginta, quibus præfuit annis, eduxerit. Ex quo nondum hac ætate, quantumvis totam viciniam hæresis pervaserit, prorsus dejectum est, sed velut rosa inter spineum hodièq̃, sub cura Præmonstratensium Romersdorffiana in extremis diœcesis nostræ finibus subsistit. Mons hic olim adversus Hungarorum excursiones juxta Wetzflariam propugnaculo munitus, litium materies vicinis Principibus, eam sibi certatim vendicantibus, erat; cum vir Religiosus Godefridus interveniens arbiter, illum sibi, Dei servitio affertendum, postulat, obtinetque. Atque in ea defixus cogitatione, dum objectum sibi per somnum candidum vidisset agmen Virginum, Engelberti Romersdorffiani Abbatis consilio, sex ex Wulfersbergio Parthenone Virginum primò deducit coloniam, quorum demum Gertrudis, ut numerum sanctimoniamque auxit, ita tenuitatem sublevavit, rigidi istius cœli florissimus, dignaque sanctæ matris planta: qualis hodie ab Hassia non expectatur.

Yolanthis
Virginis, in
spreta mun-
di vanitate,
constantia.

Yolanthis huic Virgo accenseri jure potest, quæ Viennensis in Eisslia Comitis filia, & Balduini Imperatoris Constantinopolitani consobrina, dum illustri-

bus aptatur thalamis, à Waltero Meisenburgico Tre-
virensium, ex Dominicana familia, egregio oratore per-
suasa, sponsa Dei, quàm hominis esse maluit. Quare
in vicinum Mariæ Vallis Parthenonem Matre Marga-
reta comitante & piæ fraudis nesciâ, eâ mente digre-
ditur, ut Virginibus istic sub Dominici disciplinæ so-
ciaretur. Ergo Matre in cœnobii lustratione distenta,
ipsa in choro, nuncupatis Deo votis habituque sum-
pto, læta concinit: *Regnum mundi, & omnem orna-
natum seculi contempsit.* Quod ubi interveniens Mater
attonitaque conspicit, nullâ claustrî reverentiâ, filiam
per Ministros retrahit, arctæque domi custodiæ man-
cipat. Nihil toto ab illa triennio, neque blandimen-
tis, neque terribilitatis, Episcopis etiam ad hoc con-
siliū adhibitis, inconstantia potuit extorqueri. Ut
denique propinqui parentesque invicti spiritum ani-
mi sustinere non ausi, ad pristinum illam religionis
domicilium redire sint passi. Ubi hisce principiis non
imparis gloriæ vitam exitumque, Virago nobilissima,
virtute magis, quàm genere, est consecuta.

Ex hac Comitum familia Henricus, cum Mar-
gareta conjuge, Yolæ sive Yolanthis parentes, ut vi-
detur, excitârunt hoc tempore in subiecta Castro Valle,
ad Ouram rivum, Monasterium Religiosis SS. Trinita-
tis de Redemptione captivorum, eò quod Henrici Co-
mitis Pater in orientem profectus, belloque à Sarace-
nis captus, ab illius Ordinis Magistro, suppeditato ad
redimendum triste servitium lytro, in libertatem eun-
dem asseruerit, qui testandæ gratitudinis causâ, non
solum expensum æs refuderit, verùm & domicilium
hoc censu non ignobili dotatum, monumentum alieni
beneficii & proprii superesse voluerit.

Hæserat jam biennio prope ad Thuronii castrum
obsidio, cum Palatinus ad liberandum arma expedit,
contraque Arnoldus Colonensem sibi ad arma Prin-
cipem sociat. Unde, illo ad resistendum impari, pa-
cta deditio. Utque tutior deinde illius esset adver-

Monasteri-
um SS. Tri-
nitatis de re-
demptione
captivorum.

An. Chr. 1249
Thuronii arx
deditio ac-
cepta.

Oratorium
Deiparæ in
monte fre-
quens, ad
prodigii me-
moriæ spe-
ctat.

Arnoldus
mœnibus ur-
bis contra-
ctis domum
de Ponte ex-
cludit.

Porta invi-
dia.

Confluentia
muris turri-
busque mu-
nita, præter
alia oppida.

Wilhelmus
coronatus.
1250.

sus Palatinos defensio, pars munimenti Colonienſi ad
defenſionem junctim præſtandam ceſſa. Oratorium
verò Deiparæ in vicino monte excitatum, tum ad gra-
tam liberatæ patriæ memoriæ, tum quòd miles ab
hoſte Thuronenſi in arce interceptus, impoſitusque
balliſtæ in ærem evibratus, imploratâ Dei parentis ope,
iſtic innoxie depoſitus fuerit. Monti verò Sacelloque
Blidenbergi, ſive gaudioſi-montis, nomen relictum eſt.
Inde, in fluctuantibus adhuc imperii rebus, Arnoldus
urbibus arcibusque firmandis adjecit animum, & quia
Dominorum de Ponte Treviris factio, turrisque inclu-
ſa mœnibus, haud leves nuper in electione turbas de-
derat, illam, arctius murorum urbis gyro verſus au-
ſtrum collecto, excluſit, turrimque & portam ex ad-
verſo objecit: Unde ab invidia & æmulatione *Ned-*
port hæc à vulgo dicta eſt, quæ hoc clauſa tempore,
cum facti memoria, propemodum evanuit. Conſu-
entiam quoque Advocationis jure exemptam, atque
immunitam hætenus, muris turribusque ſepſit. Qui-
bus hoc tempore anno 1672. dum hæc ſcribo deſectis,
fortiſſimi munimenti, propugnaculis extra intraque
fossas murosque, certâ lege ac ordine ſurgentibus, ſub
Carolo Caſparo Archiepiſc. ſpeciem induit. Et Mo-
naſterium Meinfeldiæ ſuis ex parte mœnibus clauſum.
Ita Hardinſelſium oppidum ſuo paratum ære Eccle-
ſiæque Trev. donatum, vallis murisque cinctum;
Stolsinſeldenſe municipium cum arce firmatum: Bil-
lichium quaternis adverſus hoſtem inſtructum turri-
bus; Arraſium ex alienatione ad diœceſim revocatum:
Urticenſe caſtrum ab hoſtili manu vindicatum: Pala-
tiolum elegantibus operoſisque ſtructuris communi-
tum, ut cetera ſilentio præteream.

Wilhelmus verò Rex, ubi Aquisgrani coronam
accepſſet, inter tres Archiepiſcopales Rheni Princi-
pes Sigefridum, Arnoldum, & Conradum, Leodium
progreſſus, S. Lambertum iſtic in principis aræ conſe-
cratione, per Innocentii legatum Caputium facta, ve-
neratus eſt.

Nec multò post nuntium adfuit Friderici in Apulia extincti, non tamen sine pœnitentis animi argumentis, ut multi in morte oculos, dum claudendi sunt, aperiunt. Ergo Conradus priusquam Italiam adiret, ultimam cum Wilhelmo pugnae aleam subiturus, eidem haud procul Oppenheimio copias opposuit; sed, acerrimo licet prælio, inferior, terga vertit, Germaniæque possidendæ spem deferens, Italiæ Apuliæque sese intulit; ne dum plura simul regna captaret, excideret omnibus. At Germaniæ Principes, neque Wilhelmo satis virium ad imperii totius defensionem suppetere rati, ut factionum robur inciderent, mutuò ligati conservandæ seip, federe, armis copiisque misère instructos Duces, qui in rebelles factiososque ac prædatores, prompto ubique se milite inferrent, nascentesque seditiones in primo semine eliderent. Quæ res tutum diu omnibus, ac Wilhelmo faciliè imperium præstitit, cum Principes Rheni omnes fidem operamque hoc in federe mutuam addixissent.

Arnoldus deinde sub vernum tempus, cum Wilhelmo Rege, avocatus à Pontifice Lugdunum in Galliam regifici apparatus Comes profectus est, magnâque istic benevolentia ab Innocentio cultus, liberalitatis suæ in exulem id temporis Pontificem ejusque aulam egregia argumenta reliquit, Wilhelmo etiam à Pontifice reditum in Italiam meditante, corona imperialis, ut primùm transisset Alpes, promissa est; sed discrimen Germaniæ factionibus adhuc corruptæ Wilhelmo retinebat, ne, dum in Italia coronam quæreret, amitteret in Germania.

Et certè Arnoldus redux jam turbatam, juxta Logganam amnem, ab Everhardo de Lapide, temp. invenit. Is enim ante triennium arcem suam cum agris Ecclesiæ beneficium profiteri jussus, nunc palam obniscus, detrimenta non pauca intulerat, protervius etiam in Archiepiscopi nomen investus. Unde re in judicium vocata, ducentarum librarum æris damnatus, pro

An, Chr. 1251.
Fridericus
pœnitens, ut
creditum,
moritur.

Conradus fil.
prælio victus
Italiam petit.

Germaniæ
Principes fœ-
derati invi-
cem.

1252.

Innocentius
Wilhelmum
cum Arnol-
do Lugduni
excipit.

1253.

Everhardi
Domini aLa-
pide rebellio
contra Ar-
noldum ca-
stigata, ex-
emplo raræ
pœnitentiæ.

474 Lib. XVI. Innocent. & Alex. IV. Pap. Will. Imp.
bri expiandi insuper gratiâ, à fori Trevirensis Cruce
nudipes, cum quadraginta è nobilitate viris, eorumq;
liberis, supplex metropolitanam adire ædem, pronusq;
ad Archiepiscopi pedes accidere, veniamque delicti ex-
orare iussus est. Exemplo poenæ, in quo non tam
pravitatis suæ, quàm demissionis obsequiique erga
suum Antistitem Ecclesiamque documentum poste-
ris admirandum exhibuit.

1254.
Conradus
Rex interfe-
cto fratre, ab
alio fratre
Notho inter-
ficitur.

Sequens annus & Pontifici Innocentio, Alexandro
IV. succedente, & Conrado Apuliæ Siciliaque Regi
fatalis fuit. Hic enim, cum, Entio jam à Bononiensibus
capto, ferreaque in cavea sublato, Henricus frater
Siciliæ regnum obtineret, Apuliâ non contentus, hunc
nefariè interemit, moxque ipse à Manfredò fratre No-
tho, pari exemplo, per venena sublatus est, relicto in
Germania Conradino filiolo. Cujus vel infantiam vel
mortem causatus, regnum Manfredus, Neapolitanis li-
cet cum Pontifice repugnantibus, occupavit. Qui
Gallos denique, Manfredò impares, ad regnum evo-
cârunt.

An. Chr. 1255.
Wilhelmus
Cæsar in Fri-
sias pugnas
cadit.

Et Wilhelmum Germaniæ Regem, adversus Fri-
sios Hollandiæ infestos brumali tempore pugnantem, ce-
dens, quam equo pervolabat, glacies hausit, hostibusq;
ex vicinia incumbentibus jugulandum obtulit. Unde
rursus imperialis corona, hinc Germanis declinanti-
bus, inde prestantibus exteris, velut pomum Eridis,
objecta est, hæsitque diu anceps cui deberetur. An-
noldo Trevirensium Archiepiscopo cum quibusdam
Principibus Alphonsum Arragoniæ Castellæque & Le-
gionis, scientiarum gloriâ Regem clarissimum, nulla
remuneracionis spe, designante; contraque Agrippi-
narum Præsule Conrado, cum Gerardo Mogunamensi
& Ludovico Palatino, auri fulgore captis, Richardum
Joannis Anglorum Regis fratrem deposcentibus. Tam
diversa hominum, ad capessendum imperium senten-
tia fuit, ut quod alii, oblato etiam pretio, defugerent:
alii, hujus profusione, captarent.

1257.
Imperium
diversis obla-
tum, Richar-
dus Anglus
pecuniâ emit

Richar-

Richardus, ut propior, ita ad capescendum imperium expeditior, Aquisgrani à Conrado coronatus postquam Arnoldum XV. marcarum millibus oblatis corrumpere non potuisset, armis & favore reliquorum Principum auro conciliatorum tenuit: donec tandem cum pecunia exhaustus favor, ubi Germanis se viluisse conspiceret, in Angliam vacuus nummorum & honoris rediit, ubi bellorum fratris administer, ignobili fato in urbis obsidione jaculo confossus occidit. Alphon- sus, licet imperii cupidus, periculum tamen capescen- di, anxius de eventu, declinavit. Ita Germania deniq; electorum imperantiumque inconstantia, populorum verò libertate eò recidit, ut nemo illi imperare, vel posset cum desideraret; vel desideraret cum posset.

Contra Orientis imperium, nimia imperantium copia studioque intercidit, Balduinus Junior, prone- pos Balduini majoris, Flandriæ Comitis, Constantino- poli supererat; sed vilis Imperator, cum Saraceni ma- ximam partem orientis tenerent, Græci & Latini facile VI. regnis dividerentur, Peloponesi Rege Bonifacio Marchione Montferratensi; Athenarum Godefrido Tre- centi; Niceæ Bithyniæ Theodoro Commeno; Trape- zunti, in Ponto, Davide & Alexio fratribus Andronici; Thessaloniciæ Theodoro Angelo. Qui, cum nullum quisque, præter se, imperare cuperent, nullique nisi sibi amici fidique viverent, rem totam brevi pessunde- dère, Michaele Palæologo denique per fraudem Con- stantinopoli egressu Balduinum excludente. Qui ic- circo nudus, velut è naufragio, in occidentem anno seculi XIII. sexagesimo primo rejectus est.

Arnoldus interea undesexagesimo ejusdem seculi anno Idibus Nov. mortalis hujus vitæ metam Thabo- rina in arce attingit, Treviris, haud procul ab avunculo Theodorico ad sinistrum opei latus, depositus, gemi- num cum illo hujus Ecclesiæ fidus, post cujus occasum, nova rursus tempestas ambitionis eligentium studia dissipavit. Laudatum in Arnoldo pacis ac Religionis studi-

Gg 5

studi-

1258.

Arnoldus re-
cusat obla-
tum pretium
& Richardus
brevis sperus
fugit ac perit,
vacante im-
perio, quod
nemo cupit.

Imperium
orientis in
plures divi-
sum perit.
Balduino ul-
timo à Palæo-
logo per frau-
dem excluso.

An. Chr. 1259.

Arnoldus
moritur.

Religionis
studio lau-
datus.

Fundator
Parthenonis
S. Agnetis
Treviris.

1260.

1261.
Schismate
electionis in
Treverico
Clero enato,
Henricus Me-
tensis Deca-
nus, astu de-
lusis ceteris,
sedem occu-
pat.

studium, quo gratus omnibus, inprimisque, Clero di-
lectus fuit. Poppardiae nobilem cætum Virginum,
Montis S. Mariæ Nenningensis, Ecclesiæ divite censu
locupletavit. Parthenonem D. Gervasii, qui nunc
S. Agnetis nomen sustinet, primus instituit, suisque
firmavit opibus, & legibus ad vitam, religiosè tradu-
cendam præscriptis. Quibus tamen cum sensim abi-
rent, ad D. Augustini regulam, & regularium Canoni-
corum curam, hactenus laudabiliter impensam, tradu-
ctæ sunt.

Clerus deinde, turpi sententiarum dissidio, hinc
Arnoldum de Seleida, inde Henricum Bolandinum,
utrumque Archidiaconi functum munere, Præsulem
constituunt. Qui dum Romæ causam agerent, ille
per instructos procuratores, hic per se ac Theodoricum
S. Matthiæ Abbatem, Henricus de Finstinga Metensi-
um Decanus, Romanæ, & præsens, & gnarus curiæ,
ubi familiari utriusque partis usu, quæ cuique obstacu-
la ponerentur, didicisset, præcipuis, ex Cardinalium sibi
faventium collegio, persuasit, & per hos Pontifici, vitio
utriusque electionem nullam fuisse. Cumque ipse lau-
datus pro hoc munere Alexandro esset, hic palam in
Senatu Cardinalium, utriusque electionem irritam, &
Henricum Archiepiscopum, ceu devoluto jam ad se
Cleri jure, pronuntiavit. Quod quâ admiratione quo-
que animo ab utraque partium exceptum sit, non facile
dixeris. Sed Alexandro hoc iudicium inter postrema
fuit, Urbano IV. ab illius morte Cathedram adveniente,
Tulit indignissimè repulsam Arnoldus, omnemque
iccirco in Theodoricum S. Matthiæ Abbatem, quem
obfuisse maximè suspicabatur, indignationem effudit,
utque potentius ei noceret, Finstingii partes, ceu fau-
tor, amplexus, obstitisse & huic maximè Theodori-
cum, atque etiamnum adversari persuadet. Unde cum
jam exceptus ille ab urbe Cleroque, quanquam pallio
nondum habito, tanquam Archiepiscopus ac Princeps
fuisse.

fuiſſet, raptò milite, quem pro Walteri Gerolſeckii Argentinenſis Epilcopi præſidio legerat, repentè hunc in S. Matthiæ poſſeſſiones diripiendas vertit, adeò ut nec religioſis quidem tutam habitationem relinqueret; ſed his Monafterio eiectis, quærendum in urbe eſſet diverticulum. Qua de re cùm Romam à Theodorico juſtæ querimonix emanafſent, conſtituti primum ex Patribus Franciſcanis Quæſitores cauſæ fuere, quibus cum ad munus exequendum non liceret eſſe tutis, ad ſummæ ædis Præpoſitum Simonem Theodoricæ fratrem directæ Pontificis literæ, quibus in Cleri Synodo prælectis Henricus, tanquam Pallii expers, & variorum inſimulatus facinorum, ſacris per diœceſin muneribus abſtinere jubebatur, dum Romanæ ſedi ſe ſuaque probaſſet.

Ad quam cenſuram uſque adeò excaudit, ut per miniſtros violentas manus literarum prælectori injiceret, & non ſolum Theodoricum, ſed & Robertum ejus fratrem, SS. Martyrum Abbatem, officiis ſubmoveret, aliis ſolutioris vitæ Monachis in locum ſurrogatis. Et D. Matthiæ quidem, reclamantibus cœnobitis, Wilhelmum Meiſenburgium nobiliori genere, quàm virtute, inter Maximinianos Religioſos admiſſum, ferocem diſſolutumque juvenem, præfecit. Qui plerisque inſolarum profugis, paucos tantum liberioris vitæ aſſedas ſecum traxit, brevique helluatione, ac pretioſiſſimarum quarumque rerum, etiam ſacrilegè templo ereptarum traduſtione, locuples monafterium ſcèdâ paupertate merſit; ut raptorem decoctoremque, pro Antifite, accepilſe videretur. Ægidius Manderſcheitius interea ad SS. Martyres rerum potitus, majori tamen modestia præfuit. Theodoricus verò Lotharingæ Ducis, & Lutzelburgici Comitis favore nixus, ſuam, cum Romæ, tum apud Treviros cauſam probabat omnibus, jamque legatus Pontificus Joannes Glandanienſis ex diœceſi Merenſi Abbas, in Cleri Præſulumq; Synodo, autoritate pontificia, Henricum omni jurisdictione

1262.
Qui Theodoricum S. Matthiæ Abbatem immeritò cum Religioſis perſequitur.

An. Chr. 1263.
Theodoricus cauſam ſuam Romanis probat, & Henricus arceſtur ſacris.

Qui indignatus tam in S. Matthiæ, quàm ad S S. Martyres ubi Robertus Theodoricæ frater præerat, alios Abbates ſubſtituit, & illic quidem decoctorem rerum Meiſenburgium.

1264.
Henricus ad
mitiora con-
silia versus,
restituit Ab-
bates.

An. Chr. 1265.

Theodoricus
ab Henrici
fautoribus,
hic à Pontifi-
ce captus te-
netur.

1267.
De Castine-
to admini-
strator Eccle-
siæ Trev.

1268.

1269.

Henricus fu-
gâ evadens
Theodori-

ditione privatum Meisenburgium & Manderscheid-
tium muneris dignitatisque omnis inhabiles, Theodo-
ricum & Arnoldum veros, restituendosque in locum.
Præsules edixit. Cum Henricus denique, neque vires,
neque auctoritatem esse sibi, ad his omnibus resisten-
dum, animadvertens; ne Archiepiscopatu excideret,
vela vertit, ac dejecto per vim armatam, (neque enim
consilio apud hominem locus) Meisenburgico, sursum-
que in claustrum, ubi velut execrabile omnibus mon-
strum occurrit, retruso, Theodoricum redire iussit
fratremque; ac cœnobitas reductos omni humanitate
complecti, errorisque veniam poscere, & moliri omnia
cœpit; ut Pontifici conciliatus, frui, per fraudem cap-
tatis, & malè hæctenus usurpatis, honoribus posset.
Quâ spe fretus ipse denique Henricus Romam sese, ad
purgationem causæ, palliumque cum anathematis ab-
solutione consequendum, transtulit. Quando Urbanus
hac mortalitate defunctus Clementem IV. succes-
sorem habuit. Qui cum amissis Romæ adorum ta-
bulis, à Theodorico novam causæ instructionem po-
stulat. Dum ea in re distinetur, ab Henrici fautoribus
Phassendorffis, in captivitatem abstractus, ferreis vin-
culis barbarè oneratur. Unde Clemens, facinore
cognito, Henricum quoque sua in curia clausum te-
nuit, ac post ventilatam diu causam, variis criminatio-
nibus obrutum, sede Treverica indignum pronuntia-
vit, ejusque in locum Bernardum de Castineto spectatæ
prudentiæ industriæque virum Palatii sui Auditorem
in administratione substituit.

Hic, ad evitandas Henrici fautorum insidias, in
Lutzelburgici sese Comitis fidem transtulit, Sigilloque
ab Officiali Trevirensium postulato, diocesan sub hu-
jus tutela administravit. Cum verò inflicto Theodo-
rici adversarios anathematis graviter premit, Clemens
Romæ mortuus incepti muneris vim suspendit. Interea
cum divisis etiam Roma studiis secum in electione
dissidet, lapsus è custodia Henricus Trevirim evasit,
atque

atque istic juxta Saravum flumen apud Consangvineos Finstingos substitit, dum Theodoricus è Thuroniæ arcis captivitate, dimissus libertatem obtineret. Tum verò, tanquam se invito id perpetratum esset, huic sese purgare, gratiam amplis etiam captare muneribus, imprimisque Theodoricum fratrem, rerum capitalium apud Lotharingiæ Ducem præfectum, largitione profusâ demereri. Quo potissimum agente, in gratiam pacemque, si tamen Romana probaret hanc curia, mutud juravere. Et hac arte Henricus res lapsas rursus crexit.

Periit hoc anno, luctuosissimo in theatrum spectaculo productus, Conradinus Conradi Regis Germaniæ & Siciliæ filius, regni hujus verus heres, & Gibeliniæ Suevorum familiæ ultimus. Causam fati paucis accipe. Manfredus ex Friderico Nothus, ut supra vidimus, occupatum regnum, contra Pontificem adversantem, tuebatur, armorum felicitate superior. Unde Clemens Carolum Andegavensem Ludovici Gall. Regis fratrem in auxilium evocatum, victoremque, Siciliæ Regem, sibi que vestigalem, annuo 40. millium aureorum tributo, constituit. Quo etiam, Manfredus in pugna ad Beneventum cadente, potitus est. Sed haud multo post Conradinus, jam scepro maturus, ex Germania cum ingenti exercitu avitam repetiturus coronam adfuit, tamen ex victore victus, in manus denique Caroli captivus venit. Qui regii generis æquitatisque immemor, eum unâ cum Friderico Austriæ Duce consangvineo, publice cervices ferro Carnificis subicere coegit, ac miseratione tam probrosi immerentium supplicii ingentem Francis indignationem concivit. Quæ & ipsis denique in Sicilia longè gravius vesperis, ut ferunt, siculis exitium peperit.

Tandem quoque Romanorum dissidia in Gregorius X. electione quievêre. Utque caput Ecclesiæ restitutum Theodoricus comperit, Romam de injuriis ex captivitate acceptis (quam ingenti pretio redemerat)

cum liberat, illiq; conciliatur, ac res suas instaurat.

Carolus Ludovici S. Regis frater, regno Siciliæ à Pontifice donatus, Conradinum heredem victum interfecit.

An. Chr. 1271.

1273.

Theodoricus
Romæ compen-
satione
aliqua dam-
norum impe-
tratâ, cum
Henrico, de-
positis odiis,
amore mu-
tuò conten-
dit.

Adversarii
Theodorici,
& cœnobii
dissipatores
à Deo puniti.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

1273. 1273.

rat) aliisque Monasterii damnis; questum abiit, Henricoque consequente, & in gratiam recepto, obtinuit, ut & lytrum à Præfecto arcis refunderetur, & Henricus sibi mille libras Trevericæ monetæ, damnorum levandorum causâ refunderet. Ita probante Gregorio par utrimque & amicitia sacramento firmata est. Quæ tantis deinde amoris benevolentiaque mutua argumentis culta est, ut dubites; odiorumne, an amicitia certamine vicerint. Henricus verò Pallii honore, sed pretioso & triginta trium marcarum (quæ solidos singulæ XII. facerent,) millibus parato, ad suos reversus reip. sese commodis seriè impendit. Meisenburgicus verò, domi forisque detestabilis, mœrore in primo ætatis flore contabuit. Nec ceteris fautoribus, iis præcipuè qui sacrilegas Ecclesiæ D. Matthiæ manus ad-moverant, divina vindicta defuisse visa est. In quibus Joannes de Ponte oculis captus, apertis nil deinde luminibus vidit. Et Joannes de Novo castro in ipsa D. Matthiæ prædiorum invasione excœcatus, ubi domum reductus esset, & uxorem, & utrosque filiorum, eadem cœcitate percussos, lamentari sortem miseram audivit; ut omnes intolerabili mœrore nondum evoluto hoc anno consumpti sint. Qui quidem septuagesimus sextus hujus seculi fuisse videtur; quando monasterio Wadegacensi jus patronatus Ecclesiæ Beringanæ contulisse Joannes, pœnitentiæ, ut apparet, gratiâ, cognoscitur.

Henricus porrò, ut damna Episcopatu per dissensiones illata utcunque pensaret, Molsbergium trans Rhenum castrum cum peculio suo D. Petri opibus adjecit. Quod beneficiario deinde jure Diethero Molsbergio relictum est, cujus posteris extinctis ad Ecclesiam rediit. Epternacum verò profectus, delectatusque pathetica saltantium processione, quadraginta iidem dierum indulgentiam largitus est.

Et Gregorius denique turbatis Germaniæ rebus consulturus, electionem novi Regis suasit Principibus,

qui Francofurti collecti Wernero Moguntinensi, tam Henricum Trevirorum, quàm Sigefridum Agrippinatum impellente, fortem magis, quàm opulentum Comitem Rudolphum Habsburgum elegere, ceteris etiam principibus spe nuptiarum, quas in filiabus laudatissimis ostentabat, facile assentientibus. Henricum in hoc Comitio mille octingentis armatis spectabilem comparuisse ferunt.

Aquisgranum subhæc, magnâ Principum coronâ septus, Rudolphus adiit, ibique à Sigefrido Vbiorum Anstite coronatus: cum ceteros Principum, ad præstandam obsequii fidem, quorundam absentiam cauſantes, hæere vidisset, arrepto ex ara *Crucis signo*; hoc igitur, ait, *mihî pro Sceptro futurum est.* Quo ipsius Zelo moti, crucem exosculati, Sacramentum dixerunt. Concesserat inter hæc Lugdunum in Galliam Pontifex, alterumque illic Concilium generale, pro terræ Sanctæ defensione suadendâ indixerat. Ubi firmatus quidem regius honor Rudolpho fuit, invitatusq; ad Romanum diadema est; sed neque pro Italia, neque pro Oriente, opes, Germanorumque concordia suppetebat. Et de ista quidem illud Vulpis in Apologo ad Leonem, invitantem suam in foveam, usurpare solitus:

Antrorsum video vestigia, nulla retrorsum.

Quòd Romanis Imperatoribus nunquam tutum fuisset Italicis turbis bellisque misceri. Orientem rebus imperii nondum compositis adire periculosum; cum gravis illi Ottocarus Bohemiæ Rex dignitatis æmulus immineret. Sed nec vires tantæ expeditioni suppetebant: cum interregni tempore quique Principum, ut supremus suarum ditionum gubernator, ita ad se publica imperii Vestigalia opesque, solis Imperatoribus ante debitas, pertraxerat, quibus omnibus singulos dimoveri perquam visum difficile.

Deflexit haud multò post Boppardiam in Treviros Rudolphus, ubi cum Moguntino & Colonienſi Archiepiscopo Treviricus quoque adfuit, constitutumque de juri-

Rudolphus Habsburgius Comes Austriacæ familiæ auctor, eligitur.

An. Chr. 1274

Rudolphus coronatus, hærentes in obsequio præstando Principes, rapto Crucis signo, impulit.

In Orientem & Italiam invitatus detrectat, Ottocari in Germania metuens.

1276.

Rudolphus
Boppardiae
cum Treviri-
co aliisque
Principibus
de clientela
constituit.

Kylburgense
Canonicorum
Collegium erigit
Henricus, &
post nimum
vacat profa-
nis.

An. Chr. 1178.
Ottocarus
Bohemiae
Rex Austriae
que Dux, à
Rudolpho
victus Au-
striam pa-
trione cedit.

juribus controversisque diversis fuit. Atque in ceteris; ut si beneficio affectus cliens, intra annum feudi Dominum authorem non agnoscat, dum legitimo impedimento non tenetur, anno proximo censeatur privatus, quo nisi recuperare studuerit perpetuò exuatur, Quod decretum in tabulas relatum, exhibitumque postulanti Henrico fuit. A quo deinde tempore, adversus Ottocari Regis vim, Austriaci Rudolphus beñi curas suscepit.

Henricus verò postquam ad Gelbin, seu Kylam amenem, Kylburgense Canonicorum Collegium, excitato à fundamentis templo, constituisset, dicassetque Dei Parenti, Canonicis in hunc locum accersitis, totum sese ad diocesis suæ facultates amplificandas, clientelisque ac munitionibus firmandas convertit, tuendæque has curas ac propagandæ religioni præposuit: damnando sanè in Principe Ecclesiastico exemplo, qui propter Ecclesiarum magis, quàm arcium curam, nisi quantum ad necessariam suorum propugnationem facit, reip. impositus est. Berone castellum ad Mosellam muris concludere aggressus, in oppidi speciem eduxit, & firmissimi operis, ubi rupes assurgit, arce castroque, vel bello, vel antiquitate colapso, rursus munivit. Quod oppidum situ regionis opportunum, vitiferis juxta montibus, plumbique venis locuples, commerciorum usu celebratur. Templum, in fluminis conspectu situm structuræ apparatus extollit elegans, Sanctorum Martyrum Reliquiis nobilitatum. A Berone olim Castellum origo nomenque manavit. Cui alludens ex Germanismo posteritas, urbem insignibus urbis præfixit.

Rudolpho interea cum Ottocaro, seu, ut alii, Odoacro Bohemorum Rege, Austriaeque Duce acriter certamen erat. Quod is ministro, ut quondam Rudolphus fuit, clientis specie subesse tergiversaretur. At semel bello victum coëgit Austriam cedere, & feudis recognoscendis, ut Domino, se submittere. Quod dum privato in tentorio se facturum recepisset, demissis re-

penè velis, flexo ante Imperatorem poplite totius exercitus oculis obiectus est. Quam confusionem superbus Rex adeò indignanter tulit, ut maximo rursus instructus exercitu Rudolpho se objecerit, iterato, non tantum confictu victus, sed oppressus etiam, Austriamque universam Rudolpho ejusque posteris, celeberrima Austriacorum hucusque ab illo deducta stirpe, reliquerit. Porro Ottocari hujus uxor Margarita Austriaca, quæ hæc ipsi terras conciliaverat, tacenda nobis non est. Hæc enim Leopoldo Duce nata, Henrico VI. Friderici II. filio in thalamum splendidissimo nuptiarum apparatu Noribergæ tradita, à morte conjugis, & ipsa mundo mortua, Trevirim sese in B. Catharina, Dominicani instituti, Parthenonem, abdiderat, sub velo sanctimonialis Deo servitura. Verùm Romani Pontificis hortatu, & Ottocari desiderio, quò Austriam non minus, quam ipsam prensabat, è monasterio ad matrimonium illius infelicibus auspiciis tradita, hæud multò post fastidita, pellicem suò in thoro videre coacta est, nec monialis jam, nec vidua; sed, sine conjugè, maritata.

Porro, ut Trevericis alicubi Monialibus consultum de instructione ac disciplina esset, Henricus Archiepiscopus Seynensi Abbati Monasterium nobisium Virginum, quod Portæ Angelicæ dicunt: Himmerodensi verò aliud Wallersheimense moderandum commisit. Ac subinde Henrico Salmensi Comiti, post difficile, quod cum Wernerò Moguntinensi Principe bellum gesserat, æris vacuo, trecentas libras pro fundis Berencastellanis & Montisvillanis obtulit; vicissimque à Hunollsteinianam arcem se clientelari ab Henrico jure possidere professus est, Meginense posthæc castrum, tractu Meinfeldico, ad fastigium eduxit, quod ævo paulatim, adjectis ædibus mœnibusque crescens; oppidi speciem induit.

Subinde Confluentini municipes imposito urbi quod Henricus moliebatur Castro, suam sibi accidi libertatem.

Rebellis de-
in in pralio
occiditur.

Margarita
Austriaca ex
Moniali
Trev. Ottocari rursus
conjugæ infelix.

Henricus
Monialibus
Moderatores
providet.

An. Gh. 1279.
Clientes
comparat,
Castra extru-
it, urbes mu-
nit, Conflu-
entiam subi-
git.

1280.

Hh

berra-

1281.

Advocatio-
nis diversa
jura ad se
transfert.

Austriam
Alberto fil.
Rudolphus
tradit.

Burgundos
variis praeliis
victos subi-
git.

bertatem indignati, cum nobilitate, externisque federati, civibusque usurpato jure in urbem adscriptis, Antistitem novis operibus intentum prohibent. Quod Henricus vindicaturus armis, instructis ante urbem copiis adfuit, imparesque viribus, ad deditionem, Moguntino & Colonienſi Principibus intercedentibus, certa lege subjectionis, cessere. Quam Principi, ut supremo, tam in civilibus, quam Ecclesiasticis domino sacramento fidem addicerent: ipsique urbis muros, Princeps coeptam arcem pro arbitratu absolverent. Hac perfecta, obsequium deinde Archiepiscopo metus civium conciliavit: cujus timor moderatus esse custos certior, quam amor inconstans subditorum solet. Sua tamen etiam civibus privilegia, nobilitatique libertatem dedit. Quam & Stoltzenfelsii castri accolis parem Confluentinis, quorum municipes fecit, Princeps obtulit. Virneburgi quoque Comitem Henricum sibi ære demeritus, jus Advocacionis in Monasterium Meinfeldia urbem, vicinosque agros ab illo ad se transtulit. Mailbergi castrum, cum Advocacione Witelichii, omnibusque rebus mancipi, clientibus fundisque ab Hugone Milite, & Joanne armigero Finſtingæ Domino XX. mil. librarum pretio redemit. Nec pauca à Friderico Novi castri, aliisque ad suam Ecclesiam transtulit, diversisque nobilitatem clientelis adstrinxit.

Rudolphus verò Austriam, masculo herede sublato, in Albertum filium transtulit, filiamque Wenzeslao Ottocari filio, heredique Regni Bohemici conubio sociavit, felicibus familiae suae auspiciis. Inde, Comitibus Noribergæ & Francofurti institutis, postquam de rebus imperii constituisset, in Burgundos movit, eorumque Comitem aliquot praelii victum, imperio subjecit. Quam in expeditione cum fortè comitum deesse annonae praefectus moneret: animosè Dux respondit: *victores, hostium comitatu vivemus; victi non indigebimus.* Nec sanè diu cunctatus ad pugnam est. Memorant decies quaterque cum Burgundis Hel-

verisque congressum, totiesque superiorem, victoriosi nomen obtinuisse. Alsatia deinde, quam late patet, ad obsequium adducta, in Treviros venit, ibique Spanheimensis belli cum Moguntino reliquias, potens in armis suafor, composuit, ac subinde castris, Mosellam inter Navamque collocatis, Schoneci & Reichensteinii munimentorum prædones adortus, utrumque demum castrum expugnavit, funditusque hæc receptacula perditorum diruit. Quo bello & Cuno Schonebergius Cochimæ arcis propugnator virtute Rudolphi expugnatus est.

Inde Herbipolensibus Comitibus imperii Proceres, cum legato Martini Pontificis Episcopo Tusculano & Rudolpho Imp. convenere. Ubi cum legatus decimum quemque nummum ex bonis Ecclesiæ pro sacro bello, & Rudolphus tantundem ex vulgo ac nobilitate pro defensione imperii postulassent, Henrico Trevirorum & Sigefrido Coloniensi intercedentibus, insolentis utrimque tributi exactio discussa est.

Henricus domum reversus & Confluentiæ & Treviris res turbatas offendit. Illic proscripti ex nobilitate ad urbem reversi, castrum nondum perfecti molitionem intercipere conati: hic Metropolitanæ Clerus junior, in suum Decanum adortus, vinculis eundem cum aliis amplissimi ordinis viris in captivitatem abstraxerant. Sed quæ erat Henrici vis autoritasque utrosque facile compescuit, & Confluentes quidem novo sacramento nullos exulum recipiendi, Castrumque absolventi, adstrinxit. Ita *sæpe qui luctantur in vinculis, arctius constringuntur.* Quod & adolescentiores Cleri expertos fuisse, non ambigam.

Rudolphus deinde Elisabethæ Burgundionum Ducis filia sociatus, Martem Veneris societate placavit. Sed, quod mirere, Rusticum hominem senem, regni æmulum sortitus est. Is cum Friderici Imper. imaginem vultu totiusque corporis præ se ferret habitu, regnum ad Rhenum inferiorem affectat, jamque

Hh 2

Colo-

Et Alsatias.

1282.

Et munita
Trevirorum
castra.

An. Ch. 1283.

Herbipolensibus Comitibus tam Papæ quam Cæsari insolentis tributum negatur.

Henricus redit, & Confluentinos & Trevericos motus composuit.

1284.

Rudolphus
Elisabetham
Burgundam
ducit.

Ruficus Imperatoris Friderici personam affectans comburitur.

1285.

Rudolphus pluribus Italis libertatem vendit.

Multos Henricus tributis premit, ut clientelas comparet.

An. Ch. 1286.

Judæos quoque emungit,

Diversis morbis oppressus demum, frustra

Colonie notatus ignominia, magnam tamen repente Novesii turbam, novitatis cupidam, traxit, quibuscum ad Comitia Francofurtum iturus, Wetzlarie in Trevirorum finibus interceptus, addictusque rogo, flammarum incendio collustratus est, habuitque illud pyre beneficium vivus, quod Romani olim proceres mortui.

Sed Rudolpho Italiae regnum viluerat. Unde libertatem Lucensibus XII. millibus aureorum, sex Florentinis vendidit. Romandiola & Ravennates in Pontificis Rom. jus transferre, magna que pars regni Longobardici auro traducta. Reliquis locis legatum suo imperatorum nomine præfecit, maluitque quietam oblati æris, quam inquietam regni, possessionem.

Henricus interea tam cumulando, ex immodicis tributis, & exhaustis Religiosorum hominum possessionibus, ære; quam in nobilium feuda & clientelam rursus effundendo, occupatus; ut unam ditaret Ecclesiam, exhaustit multas. Unde Himmerodenses oblationi, tam immanibus exactionibus, ejecti Monasterio, pœne exciderunt omnibus. Argenti summa quam illustrium familiarum clientelis parandis, effudit, ad XIV. millium & CCCLXXX. librarum æstimationem pervenisse fertur. In quibus Comitum quinque de Veldentia, Gemino-ponte, Saruverda, Hoinbergius, & Silvestris sive Hirsutus: Baronum verò aliorumque nobilium sex & viginti. Ut ingentem, quæ in castra passim arcesque instruendas effusa est, pecuniam, aliamque thesaurario illatam, præteream. In quod Judæi denique, quos singulari fide tutatus antea fuerat, revomere malè devoratas usuras, tanquam collectam aquam spongiæ, coacti sunt.

Verum hæc expiare & ipse demum rapacitatem in senio visus est, quando paralyfi, podagraque, aliisque morborum aculeis, miserrimè non sine doloris impatientia, convulsus, humana Medicorum deplorata ope, ad divinam Consultò, quamvis non audiendus, tran-

transiit: & ad B. Jodoci trans Alpes limina, multorum ad Dei & Sanctorum fanitate celebrata, Wernero Archidiacono, paucisque opem confu- aliis comitibus, vehiculo delatus, cum pervenisset, non git. modo non leniri, sed ingravescere etiam, cum ægritudine, dolores sensit, quibus redux Bononiæ VI. cal. Maji Bononia in Italia mortuus, Treviros re-vectus sepelitur.

Hac fortasse malorum eluvie ad meliorem animæ vitam expurgatus. Monasteriensis illi apud Metenses Ecclesia cum fundatis ab eo ex patria hereditate Canonicis, uti & Kilburgensis apud Treviros, sacram beneficiorum memoriam debuit. Cadaver à Wernero delatum Treviros juxta principis basilicæ ostium, quo ad Deiparæ ædem exceditur, cum statua, sacrificantis habitu per tumulum exporrecta, honorificaque inscriptione illâ collocatum est:

De Fuintingâ Præsul fuit hic oriundus,
 Moribus & vita nulli fuit orbe secundus,
 Nobilis Henricus, Treviris tibi fidus amicus.
 Cura tuis morbis, honor, & pax urbis & orbis.
 Rector erat magnis, devotus extitit agnus.
 Hic pia vota dabat: tum dos tibi suppeditabat;
 Ipse tibi caulas, multas instruxit & aulas,
 Te bene dotavit: tibi fortia castra paravit.
 Nunc Trevir plora, Dominum cum stertibus ora,
 Quod tibi solamen præstet Christus Deus, Amen.

Nobiliori,
 quam pro
 merito, Epi-
 taphio ho-
 noratus.

Elogium hoc faventi, ut apparet, manu conditum, non vulgares laudes complectitur, ut siqui lapsus fuerint, aliarum virtutum laudibus nonnihil inumbrentur. Admissis erroribus, publici boni studium, veniam conciliare videtur. Minus enim peccat, qui reip. amore delinquit.

Ad nova deinde itum electionis canonicæ comitia, quibus, tot nondum incommodis ad saniora eruditus Clerus, dissentientibus votis, elegit tres, factione triplici, Boëmundum, ex Warnesbergorum familia, Boëmundus, non sine dis- Ecclesiæ Præpositum, Ebertum Cantorem, & Joannem Sircki. sidio & ama-

latione, fit
Archiepisco-
pus.

An. Ch. 1287.

Wernerus
adolescens.
Christianus à
Judæis We-
saliæ Trevi-
rorum, hor-
ribili marty-
rio afficitur.

Judæi pro-
diti crudeli-
tatem magna
ciade luunt.

Sirckium Archidiaconum. Quorum hic, ne turbarum
causam daret, modestè cessit. Ille cum Præposito Ro-
manâ in curiâ jure congressurus, dum Romæ causam
tractat, & Honorio IV. morienti successor Nicolaus
IV. expectatur, affectâ valetudine se subduxit, ac Boë-
mundo victoriam reliquit.

Memorabili ea ætate facinore Judæorum in Chri-
sti nomen odium proditum est. Wernerus adolescen-
tulus, ex Heinrichæ ad Rhenum tractu Wamradio
pago natus, Vitricique acerbitate domo pulsus, We-
saliæ infra Moguntiam, Trevericæ diœcesis loco, quo-
tidianâ quærebat victum operâ. Cum Judæis, illic
frequentibus, septimana sacratiore deserviens, ipso pa-
rasceves die, inserto in os plumbo, nudus columnæ ap-
penditur, pedibus sursum, capite deorsum verso, atro-
cissimèque flagellis discinditur. Tum verò, ut totum ex-
co, lento haurirent tormento, sanguinem, subjecto vale,
atque incisus hinc inde venis, forcipibusque admotis
exprimunt, producto in triduum supplicio. Interve-
nit, quæ famulabatur Judæis, ancilla Christiana, atque
acerbitate flagitii pœnarumque mora, Judicem loci
accerisit. Quem corruptum auro Judæi ab ope in-
noxio & suppliciter oranti ferendo, plectendoque fa-
cinore, detinuère. Ita suam ipsi lusere pertinacius
tragœdiam, demortuique corpus, navicula exceptum
Baccharacum versus noctu evexere, & in dumeta vi-
cina eo loci abjecere, ubi Windesbachium hodie, or-
dinis S. Wilhelmi Monasterium, honori Martyris ex-
tructum est. Qui locus cum insolito postea noctur-
noque corruscare lumine spectaretur, admirabundos
traxit, corpusque laniatum, recentibus cruentum vul-
neribus prodidit. Quod ubi Baccharaci publicè ex-
positum, non sine odoris suavissimi fragrantia, invisit-
tur, vulgante famâ, Judæi mox facinoris autores com-
pertii sunt: ut iccirco coorti in ultionem Christiani,
plurimos nullo ætatis sexusque discrimine internecio-
ni dederint, reliquisque, ut vita constaret, viginti mar-
carum

earum millia extorserint: Imperator verò re comper-
ta, Wesalienses ac Poppardienses, tanquam violati ju-
ris publici reos, vicissim bis mille marcarum damno
multavit. Rei totius series publicis excepta tabulis,
ejus temporis Cleri senatusque testimonio tenetur.
Quo diversorum & ingentium miraculorum ad tu-
mulum illius Baccharaci patratorum fides stabilitur:
cæci illic videre, loqui muti, audire surdi, mortuique
plures vivere conspecti sunt, ut si qua fides scriptis te-
stibusque habenda sit, quæ etiamnum in nostris sunt
manibus, hæc nequeant controversi. Et tamen pos-
sessores hujus pignoris, quod Palatini Comites magni-
fico templo exornatum, inprimis coluere, sen-
sim cum his, novi Evangelii libertate ebrii, & à via
majorum devii hæc minimè æquis oculis nunc intuiti
S. Martyris corpus, ante seculum adhuc sine corrupte-
la visum, ne qua veneratione adiretur, cum picturis
supplicium representantibus, submoverunt, solaque
tantum columna Wesaliæ ad memoriam superstes
mansit.

Miraculo-
rum apud
tumulum
frequentia &
raritas.

Ab hæreticis
corpus sub-
ductum.

Trevirensis inter hæc Clerus, iteratis Româ suf-
fragiis convenire jussus, etiamnum divisus, alterum
Boëmundo, Gerardum Eppensteinium Archidiaconum
opponit: cum & Moguntina Henrici morte sedes va-
care cœpit, fluctuantibusque hic quoque sententiis,
alii eundem Gerardum, alii Emricum Schönecum pro-
ponunt. Nicolaus igitur Pontifex, ubi utrumque Boë-
mundum & Gerardum dignum infulâ comperisset,
illi Trevirensis, huic Moguntinam sedem addixit, ju-
dicio quo lis omnis compendiò sublata est. Uterque
solemnibus Romæ feriis à Pontifice Episcopus conse-
cratus, posteraque Palmarum luce, pallii usu est in-
signitus.

An. Ch. 1288.

Boëmundus
post novam
controverfi-
am Romæ
à Nicolao
Papa sacra-
tur.

Eremitis de Monte Carmeli Deo Deiparæque con-
secratis, ex oriente ad occidentem hac ætate factus
aditus. Istic enim jam olim ab Alberto Patriarcha
Hierosolymæo, certâ vivendi lege auctorati, ab Hono-

Carmelitæ
Treviris vi-
duæ benefi-
cio recepti.

rio nuper accensiti Mendicantibus, candidoque, pro
versicolore, occidentalibus adscripti pallio, diversa ad
Rhenum Mosellamque captabant loca. Trevirum in-
vitatam liberalitate Margaritæ Reginæ viduæ opportu-
nam juxta forum sedem adepti, templum haud igno-
bile erexerant, cum Nicolaus Pontifex primo sui Pon-
tificatus tempore viduæ donationem, Religiosorum-
que habitationem diplomate firmavit.

Bellum Lutzelburgi Comitibus tribus fatale, quo cum Belgis pro ducatu Limburgico certant, his vicioribus.

Quando vicini Lutzelburgorum Comites, spiri-
tualis jure huic diocesi subjecti, haud vulgarem cladem
accepere, quâ Deus futuræ eorundem gloriæ prælu-
sisse visus est. Henrico Limburgensium Duce defun-
cto, unica superabat ex illo filia Irmingardis Reginal-
do Geldriæ juncta Comiti, cum qua hereditatem spe-
rabat; sed cum feminam negarent succedere; hinc
se Henricus Comes Lutzelburgicus; inde Adolphus
montis Comes, ut heredes, inferebant; Sigefridus verò
Colonienſium Archiepiſcopus ſibi, ut clientelare feu-
dum, vendicabat. In hac ſententiarum diverſitate,
Martis arbitrio ac ſorte denique congreſſi ſunt. Cru-
entiſſimo mortalium decreto, quo de vita maluit, quàm
pugillo terræ opumque periclitari. Adolphus igitur
Montis Comes, qui ceteris ſeſe viribus imparẽ vidit,
Jeanni Brabantia Ducis XXXII. marcarum millibus
partem ditionis commodam obtulit, cujus ipſe gratia
ſociavit arma, ſecumque Walramum Julia & Ever-
hardum Marca Comitem, alioſque fautores traxit.
Reginaldus contra Geldria Comes, cum Henrico Lu-
tzelburgico, & Sigefrido Colonienſi, Naſſovius, aliſque
Comitibus, militem junxerant. Qui in agro Colo-
nienſium Worringano, pertinaciſſimo ardore pugnan-
di, velut in haſtiludiis agminatim congreſſi, mutuis
plerique ſe vulneribus conſecere. Ita tamen ut Adol-
pho & Brabantinis victoribus ceteri Ducum vel ceſſi,
vel capti ſint. Henricus Lutzelburgicus cum Wale-
ramo & Balduino fratribus occubuit, relicto filio Hen-
rico Juniori cui ad ſarciendam amicitiam Margarita
Bra-

Filia Brabantini Ducis

Brabantini filia conjux data est. Reginaldus & Sigefridus captivitate intercepti, jus suum victori cessere. Tale Martis iudicium subeundum illis est, qui hunc litium arbitrum deligunt.

Boëmundus interim Treviris secundissimis populi votis exceptus est, hinc Friderico Lotharingorum, atq; inde Sigefrido Colonensium Principe stipatus, & ille quidem in æde B. Virginis Sigeberti-Montis feudum beneficii loco, à Boëmundo, ut cliens, amplexus est. Publica deinde epularum solennitate, etiam populo promiscuè admisso, transacti dies aliquot. A quibus ad Ecclesiam & reip. se curam Princeps convertit. Quæ tamen non leviter nova Pontificis Nicolai decreto turbata est. Cum ille in electione Metropolitanæ Cleri virtutis scientiæque potius, quam nobilitatis, ut necessario ad hunc ordinem requisitæ, rationem esse habendam, more olim recepto, decrevisset, pessimique exempli esse sentiret, quosdam sola generis nobilitate, cetera parum à literis ac virtute instructos, in hæc beneficia, non religionis, sed opulenti census gratiâ ingerere. Contra quam à fundatoribus olim fuisset constitutum, qui has ad servitia divina opes, non nobilitatis solum alimentum destinassent. Quocirca Nicolaus vacans in summa æde Præpositi beneficium, Petro Aichspalteri Trevirensi viro doctissimo, & Rudolphi Cæsaris Medico, Cantoris verò locum Joanni Trevirensis Curie Officiali eruditionis quoque virtutisque laude celebrato contulit. At nobilitas occupati semel iuris tenacissima, Pontificis auctoritate, atque etiam anathematismis neglectis, Apostolicâ se aliorum Pontificum indulgentiâ niti, tum verò fide etiam Sacramento obligatâ ad generis observationem teneri respondit, maluitque templo, relictis sacris, quam obtentis privilegiis abire. Ut ab invitis principumque magnorum favore nixis obtineri nil potuerit. Petro tamen hæc patris solii repulsa profuit, ut ad Moguntinensem deinde Ecclesiam, minus hujus propositi tenacem, Archiepiscopus

H h 5

tran-

Henrico filio Lutzelburgi in solatium conjux datur.

An. Ch. 1288.

Boëmundi solennis ad Treviros ingressus.

Nicolaus Papa frustra conatur summa ædis Clericis miscere ignobiles.

Aichspaltera Treviris repudiatus postea Basilea & Moguntia eminet.

transierit, celebri apud Treviros sui nominis relicta familia.

Dominicanorum Convencus generalis Treviris celebratur.

Recipiuntur Lutzburgi

An. Ch. 1290.

Boemundus Prædonum latebris dirutis, totum se pacis rerumque divinarum studiis addicit, præclaro Ecclesiastici Principis exemplo.

Rudolphi Imp. fretus gratia plura loca diœcesis civium jure frui voluit.

1291.

Quo tempore Mummio, septimus Dominicanorum Magister Generalis, spectatæ integritatis vir, Treviris sui Ordinis proceribus comitium ipse præsens imperavit, quod mille facillè capitum septingentos suffragiis ex his idoneos censuit. Qui Boemundi ad hanc rem Principis Regisque Angliæ liberalitate freti sunt. Famæque doctrinæ ac virtutis Lutzburgi cogniti, à Beatrice vidua, & filio Henrico accersiti, sequenti illic anno habitationem fixere palatio vicinam, aditu ad intima domus patefacto. Qui quidem annus Trevirensibus, consumptis algore vitibus, unde præcipuas opes ducunt, parum secundus illuxit. Boemundus illo tamen aliam prædonum luem, iis temporibus, variis castrorum per montana latebris hærentem, everso Nigrimontis castro, extinxit: neque dein bellis oblectatus, quamquam magni animi consiliique Princeps, ad religionis excolendæ studium se præcipuè, dignissimæque sapientie Archiepiscopo officia transtulit. Rei divinæ prope modum ad aram quotidie operabatur, sacris Ordinibus impertiendis, horisque etiam Canonicis non lectitandis tantum, sed & canendis impensè deditus. Quodque à sacris occupationibus vacuum erat tempus, hoc litibus inter suos finiendis, animisque conciliandis, factâ cui libetè vulgo etiam sui copiâ, dabat. Tanta dicendi vi, eruditionis copiâ, ac legum cognitione, ut teneret, duceretque pro arbitrio animos, summâque inter Germaniæ Proceres behevolentiam atque autoritate valeret. Rudolphi Imperatoris gratiam, filii pene loco, occupaverat, qui oppida illius diœcesis minora quinque, ut Monthaborium, Berencastellum, Wittlichium, Saraburgum, & Billichium, regali autoritate munivit, utriusque libertate ac jure frui jussit, quæ à successoribus Adolpho & Alberto firmata constitere.

Porro Rudolphus jam senio fractus, cum Francifurtenfi comitio frustra Alberti filii successionem

stulasset, Moguntino potissimum obnitate, spe excidit; ne quod superioribus visum temporibus indigni parentibus liberi, ut sæpe *heroum filii noxae*, succederent, libertasque eligendi præscinderetur. Ita Rudolphus sine proximo herede regni defunctus, Austriacæ gentis decus non illustri solum vita; sed & pia religio, ac morte auspiciati est. Sex filiabus, ex quibus Euphemia Mortialis, Mechtildis Ludovico Palatino, Guttra Wenceslao Bohemo, Agnes Alberto Saxoni, Catharina Brandeburgico, Clementina Carolo Apuliæ Siciliaeque Regi sociata, totum sibi devinxit imperium.

Ab illius morte cum plerorumque Principum vota Gerardus Moguntinus sibi Princeps conciliasset, Adolphum Nassovium Consanguineum suum obtulit, fortitudine magis, quam opulentiâ celebratum Ducem. Cui etiam Boemundus, tanquam uni ex suis clientibus favit, Aquasque pro Coronâ proficiscenti, mille trecentis phaleratis equis adfuit. Tum verò ingenti auro fultum levavit, arce Cochimâ, Kemplicque immunitate, ac Cloteno, pignoris loco primùm, demde irrevocabili donatione, cum assensu Principum, diœcesi adjunctis. Quibus Boemundus & in publicis conventibus consilia, & in expeditionibus suorum obsequia promptissimè reposuit, ut patris in eum amorem testari videretur.

At cum vicissim Adolphus, ab Alberto Thuringiæ Landgravio varia ære loca, invitis liberis, traduceret. His patri repugnantibus, gravius, quam par, armorum potentiâ insolentiâque, non sine cædium rapinarumque infamiâ, in Thuringos grassatus est; fortisque nomen Principis hac labe infecit. Nec interea rebus suis, quamvis meliore famâ, Boemundus defuit. Varia diœcesis loca, atque in his Noviomagum arce, in Constantini castrorum ruinis communivit. Clientelari verò jure vel stabilivit, vel recentibus sibi beneficiis obstrinxit, Gemnipontis, Viennæ, & Dietrii Rhenique Comites, Advocatos Hunolsteinii, Manderscheidri, Blanckenheimii, Kerkele, Novicastri, Mailbergi, Berbergi, Meisenburgi,

Rudolphus frustra postulans Albertum fil. successorem, moritur.

An. Ch. 1292.

Adolphus Nassovius cliens Ecclesiæ Trev. fit Imperator.

Cui Boemundus pecuniis subvenit, Cochima aliisque locis acceptis.

1293.

Thuringico bello sibi invidiam conflavit.

Clientelis variis Boemundus diœcesin stabilivit.

1294.

Seynæ Comi-
tatus à Wit-
gensteinio
separatur.

burgi, Brandenburgi, Dorsvilerii, Saræpontis, Dagst-
liæ arcis Dominos. Vindemia subinde anni nulla re-
Trevirensium haud modicè afflixit, Cessit hoc tem-
pore, Comitatum Seynensem, in quem jus sibi vendica-
bat, Engelbertus Comes Witgensteinus Joanni Seynæ
Comiti dicentis annui redditus marcis, feudisque aliquot
receptis. Adolpho probante, posterisque idem jus ta-
bulis confirmante.

1295.

Gerardus
Mogunt. Præ-
sul Adol-
phi promo-
tor, hunc de-
serit.

Quod verò non immeritò admireris, Gerardus Mo-
guntinensium Antistes, qui tot consiliorum ambagibus
ad propinqui sui Adolphi electionem inceserat, nunc
aversis ab eodem studiis in Albertum inclinatus, hinc
spem animosque ad coronam fecit, quòd is Thuringico
Misnicoque bello, tum stipendiaria Eduardi Angli con-
tra Philippum Gall. Regem militiâ, velut Cæsar inde-
corâ, graves multorum offensas collegisset, quas exag-
gerata in Comitibus procerum accusatione Gerardus to-
vebat. Ut Alberto jam solæ vires ad regnum capeffen-
dum deessent. Qui sese in Sueviam recipiens, istic
quantis poterat copiis armabatur, sua jam amulatione,
nec ab Adolpho quidem securus. Quando inundans
frequentibus Mosella imbribus alveum supergressus
pontemque, ac latè per agros effusus, multis adibus
ruinam, agris verò vitibusque fecunditatem inexpecta-
tam attulit, ac superioris anni sterilitatem refudit, ut
mortales agnoscerent inopiam juxta copiamque unius
Dei manu, pro arbitrio, nunc contractâ, nunc porrectâ,
librari.

An. Ch. 1296.

Annus ferti-
lissimus, post
sterilem, præ-
viâ inunda-
tione.

Quando inundans
frequentibus Mosella imbribus alveum supergressus
pontemque, ac latè per agros effusus, multis adibus
ruinam, agris verò vitibusque fecunditatem inexpecta-
tam attulit, ac superioris anni sterilitatem refudit, ut
mortales agnoscerent inopiam juxta copiamque unius
Dei manu, pro arbitrio, nunc contractâ, nunc porrectâ,
librari.

1297.

Alfatas te-
merè Adol-
phus affligit.

In Alfatos subinde Adolphus durior, cum tributo-
rum acerbitate Conradum Liechtenbergium Episcopum
Argentinensem in se concitavit, hic nobilitate in armis
Rhenani equitatus, & pedestrium Suevorum copiis cir-
ctum provocavit, Quem, ne deesset autoritas, Gerar-
dus Archiepiscopus Moguntinus in quorundam Princi-
pum Comitibus Moguntia receptum, post spoliatum
regni honore titulisque Adolphum, Regem Romano-

1298.

rum pronuntiavit. Adolphus re cognita vix irarum
 sui que potens cum instructo mox exercitu Albertum,
 specie fugientis se subducentem, in agro Vangionum
 assecutus, solo equitatu, nequicquam tribunis dissua-
 dentibus, aggressus est; cum repente illum ad prælium
 vidit confluere; fraterque opportunitate solis, in ho-
 stium oculos obversi, strenuè certamen aggreditur, me-
 diosque armatorum Cuneos dux ipse perfringens, Al-
 bertum videt, provocatque. Nec segnis ille mucrone
 in caput, quâ patebat galeâ, vibrato secundùm oculum
 transverberat, ut ad plagæ sensum equo delapsus, Sil-
 vestrium Comitum ferro, equorumq; contritus soleis,
 occubuerit. Ad cuius fatum Albertus ferro in hostes
 abstinere, ac receptui dare signum iussit. Clades VI.
 Nonarum Julii signatur. Quâ cognitâ, visoque cada-
 vere Gerardus illacrymasse sorti consanguinei Ducis,
 a se potissimum adornatæ, fertur, Boemundus verò ma-
 jori doloris, sicco licet, sensu ingemuisse. Itum deinde
 Francofurtum ad Comitiam Principum. In quibus dum
 vehementissime Boemundus contendit: priorem ele-
 ctionem vitiosam, novâ liberâque emendandam esse,
 vix a discrimine vitæ absuit; pervicit tamen, iteratisq;
 suffragiis Albertus est designatus, qui Aquisgranum pro
 coronatione deductus, Boemundo deinde amplissimo
 diplomate, concessas ab Adolpho cum urbibus præ-
 dique arces Principibus assentientibus, confirmavit: ut
 amicum se Regem non amisisse, sed mutasse agnosceret.
 Albertus itaque rerum potitus, cum Philippo Fran-
 ciæ Rege fedus affinitatemque, Blancâ sorore, cum do-
 te regni Arclatensis, ductâ, inivit: Boemundo & Wich-
 boldo Agrippinatum Antistite parum probantibus.
 Quod sentirent regnum illud imperio debitum Austria-
 cæ domui hoc pacto sociari. Acquisitum enim illud
 olim per Ottonem Magnum tum armis, tum Adelhei-
 dis Lotharii viduæ conjugio; iteratâque donatione
 Rudolphi II, Burgundiæ Regis Henrico Nigro Imper.
 nepoti suo facta; ac denique Friderici I, Ahenobarbi
 nuptus potitur.

Moguntinus
 cum aliquot
 Principibus
 Francofurti
 Adolpho ini-
 perium de-
 rogat, & Al-
 berto con-
 fert.

Adolphus
 temerè pu-
 gnans ab Al-
 berto occi-
 ditur.

Boemundus
 novam ele-
 ctionem ur-
 get, quâ Al-
 bertus con-
 firmatur.

An. Ch. 1299

Albertus di-
 cta Blanca
 Philippi Re-
 gis Gal. so-
 rore Arcla-
 tensi regno
 nuptus

Boëmundus
& successores
Archicancellarii regni
Arelatensis
jure prisco.

Moritur &
apud Him-
merodenses
humili sepul-
chro seponi-
tur, magnæ
laudis Archi-
episcopus.

nuptiis cum Beatrice, Reginaldi Burgundiæ Comitum herede unicâ Germanis imperioque unitum fuit, licet in illius possessionem identidem Galli se ingesserint. Sed pervicit reliquorum assensus Principum, qui apud Leucos, cum utroque Rege, convenerant. Hæsit tamen Archicancellarii per regnum Arelatense, tanquam ad imperium spectans, Boëmundo aliisque successoribus titulus: ut ille per Germaniam Moguntino, per Italianam Coloniensi tribuitur. More tam vetusto; ut, cum ejus vix constent principia, à nonnullis ab Ottone derivetur. Accisi verò hoc tempore illius regni Provinciæ, vix nomen sustinent, Comitatumque Burgundiæ Austriacis solum relinquunt.

Boëmundum ab his Comitibus Leucopolitanis moribus distinguit, suam tamen per Wichboldum sententiam exposuit, languorèque superatus demum Treviris IX. Decemb. hac vita excessit, Himmerodensi in Monasterio, quod vivens quotannis ante pascha, piarum commutationum gratiâ, adierat, à morte humili in tumulo collocatus. Hæc, citra elogium, inscriptione: *Hic jacet Venerabilis Dominus Boëmundus Trev. Archiepiscopus, qui obiit anno Domini MCCXCIX.* Majori laude modestiæ, & vanitatis contemptu, quàm si magnâ præconiorum epigraphæ splendido cadaver Mausoleo deposuisset. Immortali interim in politicis, sacrisque curandis sapientia & pietate, charitatèque in universos subjectos deprædicandus. Cujus præcipuæ à morte opes, sacra, pro Ecclesiæ ornamento, supellex fuit, Memoria in Collegiis Canonorum, per disciplinam frequentiamque chori introductam, relicta est. Ut non qualemcunque se Principem, sed Ecclesiasticum fuisse, posteris demonstrârit.

1300.

Jubilæus an-
nus secularis
primum in-
stitutus.

Jam Seculum XIII. in ultimum sese annum inclinabat, quando Bonifacius VIII. Pontifex Veteris Jubilæi Judæis instituti recordatione, quo & servi ad libertatem & bona possessionesque ad pristinos Dominos redibant, plenam scelerum pœnarumque remissionem, omnibus
Sacra

sacra Romæ Apostolorum limina adituris, prævia exomologesi synaxique, indulgit, quam deinde celebritatem quot seculis repetendam decrevit, eò ad pietatem Christianam profectu, ut peregrinorum Roma, & illis & posteris temporibus, vix satis capax visa fuerit. Trevis tamen cum de successore disceptatur, Capitularibus Henricum Virneburgium; Pontifice verò Dietherum Nassovium Adolphi Regis fratrem, odio Alberti Cæsaris, se invito regnantis, sedi imponentibus, bellorum tempestatè concussa est. Quam Henricus Lutzelburgensis Comes, postquam Trevirorum crevisset opibus, potentia insolens, imposito Macheræ Comitis ad Mollam castro telonioque concitabat. Quæ dum, impatientes jugi Treviri, demoliuntur, finibusque Lutzelburgiorum infesti se inferunt. Henricus majori armatus exercitu, obsidione improvisâ urbem premit. Cùmque injuriæ refellendæ Treviri impares ad Divorum aras patrociniâque confugerent. Et jam hostes, superato flumine, vicinum urbi collem S. Crucis occupassent, ac, ne soli nocerent urbi, excisis latè vitibus propinquisque vicis incendio vastatis, mœnibus propius imminerent, par civibus excidium minati, à Festâ D. Petri vinculorum memoria, oborto, velut ab incumbente hoste, in castris, noctis inter tenebras, tumultu; versis in se mutuò armis, aut cædibus, aut fugâ exercitus dissipatus est, liberamque, sine pugna, urbem reliquit.

Indignatione igitur in favorem Henricus versâ, nequam ab Archiepiscopo cladem reportaret, cum urbe non pacem tantum; sed & armorum societatem pactus est, ac donatus civitate, incolarum sese libertatem, oblati in discrimine copiis defensurum recepit. Suppetiasque in quavis belli necessitate quinquaginta cataphractorum turmâ laturum, stipendio civitatis; adversus quemcunque, præter Archiepiscopum suum, Cæsaremque; nisi is bello cives impetat. Si verò in Comitem arma ferat, cives Archiepiscopo intra territorii fines adhærere queant. Jus commerciorum utrimque liberum

Treviris à Clero eligitur Virneburgius, sed Pontifex Dietherum Nassovium præficit.

Henricus Comes Lutzelburg. infelici bello Treviros petit, suo milite in se invicem pugnante.

An. Ch. 1301.

Mox defensor & civis factus.

1302.

Urbs, liber-
tate freta,
Principis Se-
natum pellit.

1303.

Dietherus
cum urbe,
Senatu resti-
tuto, paci-
fcitur.

An. Ch. 1304.

Cives à no-
bilitate op-
pugnati, cum
Archiepisco-
po mutuam
opem paci-
fcuntur.

1305.

Confluentini
ob tributa
rebelles pre-
muntur, ma-
gnâ Principis
invidiâ.

berum tutumque vigeat. Et his legibus Comiti intra urbem Domicilium attributum est, annuoque censu trecentæ æris libræ sive aureorum primò deinde verò CCCC. constitutæ sunt publicisque res tabulis anno seculi altero sancita. Quæ multarum deinde contentio- num cum Archiepiscopis seminarium extitit. Et certè mox fiduciâ libertatis freti, tribulium collegia, suis institutis colligata, Bonifacium Prætorem, pro Archiepiscopo jus dicentem, cum Scabinis urbe propellunt, ac proscriptione bonorum damnant; neque aliter ad pacem à Diethero Archiepiscopo (jam ad clavum admisso, & Imperatoris gratiâ qui milite adducto minabatur, destituto) reduci potuere, quàm ut ad Principis Magistratum XIV. Viri è civibus adjuncti, unâ in consultationibus suffragiisque, assiderent; judicandi tamen potestas penes Archiepiscopales, & Scabinorum Magistros maneret. Quæ utriusque partis assensu firmata, à Balduino successore destructa fuere.

Nondum tamen sanata ab hac malorum intemperie respublica fuit, cum lues hæc facilius contrahatur, quàm curetur. Joannes Prudonus ab urbe, ut videtur, hac tempestate ejectus, & à Richardi de Duina armis defensus, haud vulgarem civibus cladem, multis in captivitate abductis, dederat. Quare cum suo Archiepiscopo mutuam opem pacti, postquam juncta Richardo Dynastæ arma intulissent, Lutzburgico Juliacoque Comitibus intercedentibus, pax eâ lege constitit, ut captivis in libertatem missis Prudono innoxium sit Richardi in partibus hæsisse, huic verò CC. æris libræ numerentur. Unde & læsum huic à civibus jus suum profecutum fuisse intelligas.

Interea Confluentini incolæ, crebris in militum stipendiis, tributisque exhausti, obsequium detrectant, quos Dietherus instructo, qui tum aderat, aggressus milite, ad deditionem & imperata compulit, sacramentique fide obstrinxit; at gravissimâ per universam diocesis, ære tributario oppressam, invidiâ. Quæ tamen

neglectâ augendis clientelis adjecit animum, Castrumque Winnebergium, domumque Bruchiam, cum suis Dynastis, Wirico Milite, & Theodorico Bruchis, ad se traduxit. Tum deinde alias dynastias, cum Henrico Monthaborino, Henrico Levvensteinio, Henrico à Loric, Hartardo Merenbergio, Henrico Ehrenbergio, Udono Waldeco, Friderico de Schleida beneficii obligatione sibi ac jure devinxit, consultâ parum liberalitate, quâ ut clientes locupletaret, exhaustis subditos. Winnebergi jus castri ea lege concessum, ut cum armatis huc liber accessus Archiepiscopo esset, pugnantique in quemvis hostem, Romanorum Imperatore & Coloniensi Archiepiscopo excepto, facultas. Neque fas deinde Winnebergicis quemvis alium Principem, invito feudi Domino, admittendi. Quâ contrahendi lege & ceterarum arcium possessiones aditæ: ut scilicet clausæ reliquis, solius Domini accessui arbitrioque paterent.

Inter hæc Raimundus Burdigalensis Archiepiscopus in Benedicti Pontificis vitâ functi locum, Clementis V. nomine surrogatus, Lugduni in Gallia Pontificiâ tharâ à Cardinalibus ornatus est. Cumque Gibellino- rum Guelforumque, quorum albæ illi, hi nigrae factionis erant, jactaretur Italia, sedem Avenionem, Neapolitani tunc Regis in Gallia urbem, transtulit, annis istic LXX. facile peregrinanti, majori urbis unius quam totius Christianæ Ecclesiæ haud parum obscuratæ, ad splendorem emergentis, honore & emolumento. Inter hæc cum Gerardus Moguntinensium Antistes morte ereptus sedem vacuam reliquisset, Henricus Lutzelburgi Comes, pro fratre Balduino Lutetiis in studiis commorante, per Petrum Eichspalter Treviris natum, ac Basileensi ornatum insulâ Clementem sollicitat; sed cunctabundum, ob firmatam nondum Balduini ætatem. Quo tempore, dum gravioris morbi discrimine Clemens obrutus, Petrum, medicæ gnarum artis felici curatione admovisset, pro munere Ar-

Ii

chiepi-

Clientis immodico subditorum ære, certis sibi legibus devincit.

Ob factiones Italicas Benedictus. XI. Pontifex.

Româ in Galliam Avenionem sedem transfert.

Petrus Eichspalter Trev. Medicus, ob curatum Pontificem, Moguntinensi Archiepiscopatu donatur.

chiepiscopatum cum pallio detulit, sponsamque, quam pro aliò procabatur, iussit ducere, Balduino ad aliam deinde fortunam servato.

Treviri Spanheimenses etiam Comites jure civium donant.

Treviri verò & neglectu Archiepiscopi, & libertatis suæ amore ad firmandam potentiam animosiores, Spanheimenses etiam Comites Starkenbergo, munitissimo castro fretos, urbe civiumque jure donant, pætaque armorum societate (ut cum Lurzelburgicis antè factum) annuo se eis centum librarum stipendio obligant; dubium, venditæ, an acquisitæ pretio libertatis; quòd patronorum non rarò potentia, sit oppressio clientum.

An. Ch. 1306.

Dietherus moritur, demissione suâ laudatus.

Canonicos in Wefalia superiore instituit.

1307.

In æde Dominicanorum sepultus.

Dietherus interea militiæ, adversus Imperatorem, & rebelles subditos, alendæ impar, & religioni, quam armis ac reip. regendæ aptior, dum, accusationem Cleri præoccupaturus, in Galliam ad Pontificem iter meditatur, morte tollitur, quæ ipsum invidiâ, alios metu exemit. Demissione, ac reverentiâ Dominici instituti laudatus, cum *Fratris* nomen, ceteris titulis insignnatis à se literis præmitteret, hæc formula: *Frater Dietherus Dei gratia S. Trevir. sedis Archiepiscopus. Wefaliensem B. Martini Ecclesiam, amplis nixam, sub unius Rectoris arbitrio, opibus, septem Canonicis, sub Præpositi Decanique cura, administrandam, præscriptis vitæ legibus, commisit: Schonenburgiis loci patronis facti consilium pietatemque probantibus; quòd Ecclesiasticis, ut opum penuria gravis & indigna; sit abundantia ad luxum periculosa sit.*

Obiit anno salutis MCCCVII. pridie B. Clementis Papæ & Martyris, depositus in æde Dominicanorum Treveris, haud procul ab ara summa, editiore tumulo, effigie amictuque Archiepiscopali super pulvinaria reclini, Nassovii stemmatis clypeis adjunctis, & hac per margines inscriptione circumfusa. *Hic ja-*

scet D. Dietherus de Nassavia, Germanus D. Adolphi
Regis Rom. quondam Archiepiscopus Trev. Ordinis Fra-
trum Predicatorum, Magister in Theologia. Aestiment
hunc alii à nobilitate generis, alii à dignitate muneris;
ego ut Dominicanæ familiæ fratrem his tam
splendidis titulis præferam; quod talem,
si non vivere saltem mori glo-
riosius fuerit.



li 2

LIBER